



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eiusque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Perfectione[m] fraternæ charitatis Christi præceptu[m] appellari, propter
ea quòd excellentias perfectionis contineat. Cap. xxxiv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

Galat. 4. carulos suos exsuscitat, & lambendo informat; sua Christi minister spirituales filios, tum genitibus & lacrymis ad Deum directis, tum suavitate, & dulcedine filius ostensa eos gratia suscitatur, & virtutibus decoratur. Filioli (inquit Paulus) quos iterum parrurio donec formetur Christus in vobis. Sed hunc vigorem charitas præstat ministrorum corda dilatans, ut in his difficultatibus non hereant, ad finemque sibi propositum conversionis animarum alacriter curant.

Psal. 118. Viam (inquit Regius vates) mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.] Tunc profecto currimus viam diuinorum mandatorum, quæ omnia in Dei cultum & proximorum utilitatem tendunt; tunc ad nostra instituta obseruanda festinamus, quorum scopus est vitiorum euulsio, virtutumque plantatio, cum Deus liberaliter nobiscum se gerens corda nostra charitate dilatat, & ab angustis proprii amoris & anxietate liberat. Iste quippe angustus est valde, qui ad propria commoda solum anhelat, & in sui gloriam inanem, & honorem suspirat; illa verò latissima, quæ proprias commoditates postulat, ut aliis se vtilem & opportunam exhibeat. An necessarius est spiritus in verbo, & quoddam Deus det voci suæ vocem virtutis, & vox Domini confringat cedros Libani, & comminat eos tamquam vitulos Libani? Sed in hunc spiritum an efficacitatem, hæc vocis virtutem, non subministrant literæ, non humana sapientia, non splendor orationis, non voces, & gestus, sed charitas. Hæc enim est virtus, & potentia viri Apostolici, quæ peccatores mouet, exterrit, atque conuertit, quæ exaltatus super gentes & regna, euellit, & destruit, & disperdit, & dissipat, & ædificat, & plantat.] Sine illa autem sonus est inanis, efficacia priuatus, qui fortè delectare potest, sed mouere omnino non potest. Manifestè quidem Paulus hoc docet. Si linguis (inquit) hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æsonans, aut cymbalum tinniens: Etsi habuero prophetiam, & omnem scientiam; etsi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.] Vitam non hoc experientia docuisset, nam qui non animas iuuare, sed se ipsum, & non Christum prædicare cupit, ea quærit plebi proponenda, quæ aures mulceant, auditores delectent, & admittentur, non verò quæ peccatorum sceditatem, virtutumque decorem ostendant. Annunt miseri auditoribus, si non verbo, saltem plausu & concursu dicentibus: Nolite aspirare nobis, quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores.] Hinc hodie tam multi ministri Christi & tam pauci. Multi etenim sunt, qui ambitione distent; gloriam prædicationis ambiunt, & videri magistri cupiant, quique sua quarant, non quæ Iesu Christi. Pauci verò, qui proximorum charitate permoti non honorem, sed onus, non gloriam inanem, sed labores præliandi cum vitiiis, doctrina ex plòque suscipiant.

Tandem, cum vir spiritualis se inuenit annis oneratum, senectute confectum, vitiis spoliatum, charitas est, quæ labores, animarumque lucra supplet; hæc est, in cuius complexibus insepelitur. Non potest præ lassitudine laborare, amat proximum, & optat, quantum in se est, eius occupari profectibus, & ita laborat: Non potest verbum Dei seminare, amat, & ita prædicat: Non potest confessiones excipere, amat, & ita excipit: Nō potest corpus macerare ieiuniis, vigiliis insistere, & his operibus antea consuetis tamquam quibusdam vestimentis calescit; amat, & desiderat, & laborum præteritorum recordationibus calorē concipit, amorēque & charitatem ad ferculū pertinet paci-

A fici Salomonis. Hoc namque est, quod in amoris cætico sponsa significat. Ferculum (ait) fecit Rex Salomō de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatoriū aureū, ascensum purpureum, media charitate construit.] Quid ferculum istud pacifici nostri Christi designat, nisi sanctorum numerum, in quibus suauissimè requiescit? Ad hoc ferculum ligua Libani imputribilia pertinent, illi scilicet, qui omnia peccata, & crimina detestantes, veram animi puritatem sectantur, & columnæ argenteæ, scilicet Episcopi, & Doctores, qui sanctissimè viucentes in Ecclesia verbo prædicationis resonant, & in peccatis dormientes ad bellum contra inuisibiles aduersarios vocant; nec non & reclinatorium aureum nimirum mentes sancto otio vacantes, quæ contemplationi diuinorum insistent, & auro diuini amoris splendent. Spectat etiam ad hoc ferculum pacifici Salomonis ascensus purpureus, illi nempe, qui populo cruore respergi pro fide vitam effuderunt; illi etiam, qui mortificationem Iesu Christi in corpore suo circumferentes, non breue, sed longum genus martyrij pertulerunt. Sed quid nos miseri (inquit Gregorius) atque omni fortitudine destituti, quid acturi sumus? Ecce in hoc ferculo columna esse non possumus, quia in nobis, nec fortitudo operis, nec lumen emicat prædicationis. Reclinatorium aureum non habemus, quia nec dum sicut oportet, per intellectum spirituales requiem internæ claritatis aspicimus. Ascensus purpureus non sumus, quia pro Redemptore nostro fundere sanguinem non valeamus. Quid ergo de nobis agendum est? Quæ spes erit, si nullus ad regnum peruenit, nisi qui tummis virtutibus præditus fuerit: sed adest quoque nostra consolatio: Amemus in quantum possumus Deum, diligamus & proximum, & simul quoque nos ad Dei ferculum pertinemus: Quia sicut illic scriptum est: Media charitate construit. Habe quippe haritatem; & ibi sine dubio pertinet, ubi & columna argentea erigitur, & ascensus purpureus tenetur.] Charitas ergo est, quæ pro omnibus laboribus supponitur, & eorum vicem gerit, sine qua quantumvis magni, nullius reputantur valoris. Est enim principium, à quo procedunt; & si ab alio principio exeant, inanes sunt, & infructuosi: Est medium, quo decorantur, sine quo sunt insulsi, & deformes? Est finis ad quem referuntur, etsi ad alium referantur, non aurei sunt, & pretiosi, sed viles & plumbei: Est denique omnium compendium meritum, quoniam desiderando, & amando præmia virtutum acquirimus, quas imbecillitate impediti exercere non possumus. Hanc perfectionis partem; tam necessariam ad vitæ spiritualis perfectionem, ad religionis conseruationem, & animarum conuersionem, merito Christus mandatis omnibus ante posuit, & tamquam vniuersorum mandatorum summam singulari præcepto faciunt dicens, Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexisti vos.]

E Perfectionem fraternæ charitatis Christi præceptum appellari, propterea quod excellentias perfectionis contineat.

CAPVT XXXIV.



ANDEM Saluator noster præceptum de hac perfectionis parte, à se latum, suum præceptum nuncupauit, ut dignitatem, & præstantiam fraternæ charitatis ostenderet. Quæ tan-

ra est

Can. 7.

Greg. hō.
14. in
Ezech.

10m. 15.

ta est, ut non nisi perfectioni, & fini totius spiritua-
lis vitæ, aut saltem substantiali perfectionis patri va-
leat conuenire. Ut enim rex potentissimus, cuius
imperio multa regna subduntur, regnum suum pec-
culiari consilio vocat, quod præcipuum est, & illu-
strius, quod fortius est, & potentius, & à quo apud
exterarum nationum maiorem gloriam, & inter suos ma-
iores diuitias comparauit: ita legifer noster Christus,
cuius immaculata lex multa, diuersaq; mandata cõ-
plectitur, præceptum suum speciali ratione vocat,
quod post mandatum amoris erga Deum cæteris est
nobilius, quod finem legis continet, & quod magis
suam immensam misericordiam erga homines, & bo-
nitatem declarat.

Sed iam aliquas huius perfectionis partes breui-
ter percurramus. Neque enim charitas fraterna lon-
ga laudatione indiget, quæ tam præstans est, & ex-
cellens, ut ipsi Deo nomen imponat, & Deum nostri
cordis habitatorem faciat, nosque Dei accolat, & ha-
bitatores constituat. Quod Ioannes Apostolus palam
his testatur verbis: Deus charitas est, & qui manet
in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Quid am-
plius potuit præstare in cõprehensibilis maiestas Dei,
ut charitatem commendaret, quàm se ipsum charita-
tatem vocare? Et quæ maior charitatis nobilitas esse
queat, quàm ut diuinum nomen vsurpet: Quid ex-
cellentius, quàm quod Deus & fraterna dilectio vo-
centur charitas? Nemo igitur dicat (ut monet Au-
gustinus) in hominem pecco, quando non diligo
fratrem meum. Intendite: Et facile est peccatum in
hominem, in Deum solum non peccem. Quomodo
non peccas in Deum, quando in dilectionem peccas,
si Deus dilectio est? Non solum autem Dominus hæc
fraternæ charitati dignitatem attribuit, verum etiam
seipsum eius magistrum, præceptoremque constituit.
Nam de charitate fraternitas (inquit Paulus) non ne-
cessè habemus scribere vobis, ipsi enim vos à Deo di-
dicistis ut diligatis inuicem. Quis hunc magistrum
hominum, & Angelorum non audiet, quis dilectio-
nis verba à tā præstantissimo præceptore profecta nõ
quisculter? Quis artem amandi à tali amatore, atque
amoris artifice expolitam, non accipiet? Merito sanè
hæc vocatur regia lex, quam Deus ipse in iustorum
cordibus suis se digito scripturæ promisit, cum dixit:
Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde
eorum scribam eam. Vocatur inquam regia lex, nam
scriptum inuenimus: Si legem pericistis regalem se-
cundum scripturas: Diliges proximum tuum sicut
teipsum, beneficistis. Lex quippe charitatis fraternæ
est regalis lex, quam Deus rex regum, tamquam om-
nium nobilissimam tulit, quam regibus, id est, ius-
tis seruandam & implendam promulgauit, quam ia-
nuam regni cælestis efficit, & vitam æternam eter-
nitatis ostendit.

Video quidem eos, qui virtutis decorem sectan-
tur, diuersarum virtutum amore teneti: hi silentium,
linguæque puritatem laudant; illi paupertatem que-
runt, ac rerum temporalium nuditatem; alij corporis
contemntes illecebras, commendant purissimam
castimoniam, alij obedientiam omnibus præferunt,
iugulaticem propter voluntatis: quidam manufactu-
dinem; alij in odestia; alij rerum generèdarum pruden-
tiam, aut aliam quampiam virtutem desiderant:
sed cum Paulo excellentiorem viam illis demõstro,
viam scilicet dilectionis. Via hæc sanè præstantior
est, quam Dominus ipse est ingressus, propriam vi-
ram in hominum salutem impendens. Breuior est,
nam veluti quodam compendio nos ad vitam super-
nam extollit. Planior est, neque enim habet scopu-
los, in quos pes noster offendat. Iucundior est; nam

A dilectio plena est deliciarum, quas illi soli experti
sunt qui sanctè amare nouerunt. Silentium laborio-
sum est; humilitas ardua; paupertas insuauis; conti-
nentia difficilis, ad eò ut non præcipiatur, sed sub cõ-
silio relinquatur. De virginibus enim (inquit Paulus)
præceptum Domini non habeo, consilium autem do.
Sed charitas facilis est, & suavis, plenaque iucundi-
tatis. Est via recta, quæ sine circuitu nõs ducit in ca-
lum; & licet sit compendium cælestis itineris, non
tamen est laboriosius, sed itinere longiori iucundius.
Est denique via eminens, & excelsa: nam sicut aurum
omnia metalla pretio sui valoris exuperat; ita dile-
ctio virtutes cæteras dignitate præcellit. Amatores
igitur virtutum præ aliis necesse est, inhæcant chari-
tati; reliquæ enim virtutes sunt quasi subsidia ad con-
sequendum finem, charitas verò est ipse finis. Finis
enim præcepti charitas de corde puro, & conscien-
tia bona, & fide non ficta. Charitatem omnia præ-
cepta quarunt, ad eam vniuersa diriguntur mandata;
ad illam omnia referuntur Christianæ disciplinæ do-
cumenta; ad illam, inquam, charitatem omnia ten-
dunt, cuius principium est corpus, spiritus sancti
calore reperfactus; amor enim ille, quo quidam se ad
malum diligunt, quo mouentur, ut vana miscant
colloquia, ut mutua præsentia gaudeant, discessu ve-
rò mereant, non est finis, sed perniciosa mandatorum.
Ad illam charitatem ordinantur, quæ gaudet con-
scientia bona, spe supernæ felicitatis erecta, & fide,
nulla simulationis labe corrupta, sed veritatis luce
perfecta.

C Charitas est expultrix omnium vitiorum, & om-
nium bonorum genitrix, quam benignè Dominus in
animos nostros inducens, cuncta noxia potenter ex-
pellit. Ecce alius (inquit Ambrosius) pro terrenis te-
bus, terrenisque honoribus; alius pro virtutum suc-
cessibus cuiuslibet inuidet, quemlibet odit; contra que-
libet susurrat, de quolibet detrahit, de cuiuslibet ad-
uersis exultat, de prosperis animum mœstificat. Sed
ut in cunctis hoc multiplex malum superetur, occur-
rat Domine quæso illud multiforme bonum, quod
potenti virtuti resistens non det inuidiæ locum, cha-
ritas scilicet, quæ fundamentum est omnium virtu-
tum, & bonorum; quæ non inuidet, sed congaudet;
non odit, sed diligit; nõ susurrat, sed obiurgat; nõ de-
trahit, sed arguit; nõ de aduersis proximi gaudet, sed
mæret; nõ de prosperis afflictionè, sed consolationè
recipit. Merito autè tale nomè accepit, quod illa cha-
ritas inueniri nõ potest, quæ qui habet te, vtiq; habet.

D Hæc etiam bona, quæ ab omnium bonorum origi-
ne dilectione procedunt, Laurentius Iustinianus, hoc
ferè pacto commemorat. Misit Dominus hunc san-
ctum ignem in terram (charitatem intelligo) ut ar-
deret, ut corda sursum attederet, ut calum reseraret,
ut rubiginem peccatorum cõsumeret, ut reformaret
mores, ut pessimas consuetudines aboleret, ut fuga-
ret vitia, ut virtutes infereret, ut congregaret erran-
tes, ut pacificaret discordes, ut reconciliaret auersos,
ut roboraret debiles, ut reciperet pœnitentes, ut Deum
homini, & hominem Deo indissolubili amoris vin-
culo copularet. Et ex Ambrosio, & ex Iustiniano di-
dicisti fraternæ charitatis aliud Dei nomen vsurpare,
aut ad illud propius accedere. Deus enim vocatur
omne bonum; Vnde Moysi dixit. Ego ostendam tibi
omne bonum. At charitas fratrum, si non vocatur
omne bonum, saltem vocatur multiplex bonum, quod
multiplicibus malis nostris medeat, & multiplici
nos virtute condecoret. Charitas est mater omnium
virtutum, cuius tenerior est & efficacior affectus; à cu-
ius gremio virtutes omnes tamquam dulcissimæ filia
procedunt. Est domus illa magnifica, in qua diuersi

E

1. Ioan.

Aug. serm. 7. in Ioan.

1. Thess.

1. Iere. 13.

Iacob. 2.

1. Cor. 12.

1. Cor. 7.

1. Ad Tom. 1.

Amb pra caione 2. preparã. ad Misã.

Law. Iust.

Exod. 33.



Isaia 11.

Greg. h. 16. in Ezech.

generis animalia, id est, homines moribus distorti summa pace habitare noscuntur. In mutua enim dilectione Isaia illud impletur: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit; vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.] Nam per sanctæ charitatis viscera (ait Beatus Gregorius) lupus cum agno habitat; quia ij qui in sæculo raptores fuerunt, cum mansueris, ac mitibus in pace conquiescunt. Et pardus cum hædo accubabit; quia is, qui peccatorum suorum maculis varius fuit, cum eo qui se despicit, & peccatorem fatetur, humiliter consentit. Vitulus & leo, & ovis simul morabuntur; quia & is qui per contritum cor ad quotidianum se Deo sacrificium præparat, & alius, qui tamquam ex crudelitate sæviebat, & alter, qui velut ovis in innocentia suæ simplicitate perdurat, in caulis sanctæ Ecclesiæ conuenerunt. Ecce qualis est charitas, quæ per diuersitates mentium accenditur, concremat, constat, & quasi in vnam auri speciem reformat.] Sed postremum dulcius sapit: Et puer parvulus minabit eos.] Quos enim status aut nobilitas, aut scientia dispares fecit, charitas ita æquat, & in vnum, eundemque ordinem redigit, vt parvulus quisque, atque despectus, sine labore gubernet, & in officio contineat. Indoctus sanè literatos amore connexos sine dispendio regit, quia litera illos non ad fraudes, non ad malitias, & dolos: sed ad pacem, ad concordiam, ad tranquillitatem inclinat. Ignobilis, illustres, & nobiles dilectione vincitos sine periculo moderatur, quia nobilitas generis illos non ad superbiam, sed ad modestiam, & concordiam inuitat. Pauperculus, diuites amore copulatos facillè gubernat; quia diuitiæ non sunt illis ad lites, & controuersias, sed ad beneficentiam, & mutua subsidia.

Hæc præstantissima virtus est, indicium signumque certissimum, quod sumus filij Dei. Nobiles, & primarij viri, magni aestimant exornari à terreno rege nobilitatis insignibus, vt intelligant vniuersi eos esse illustres, videantque sui generis claritatem: quanti igitur virtus mutua dilectionis esset aestimanda, quæ non est terrena dignitas, sed celestis nobilitatis insigne? In hoc enim (inquit Dominus) cognoscet, omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem.] Hac rubrica oues Christi notantur, & ad gregem electorum pertinere noscuntur, per quam veluti speciali signaculo (ait Cassianus) gregem ouium suarum in hoc mundo voluit Christus agnosci, atque hoc (vt ita dixerim) caractere discerni.] Quamuis miracula facias, te esse Christi ouem nõ agnosco; licet prophetia dono futura præuideas, te esse agnum Christi non video; & si Dæmonia à corporibus obsessorum expellas, variis linguis loquaris, & alia perficias mirabilia, te ad gregem Christi pertinere non credo; audio enim pastorem huius gregis dicentem: Amè dico vobis, quoniam multi dicent, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus: Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem.] Merito quidem sic dicitur illis, qui de sola diuini nominis inuocatione gloriantur, & opera huic inuocationi congrua non habent. Quoniam (vt inquit Hilarius) Numquid Dominus non erit, nisi fuerit dictus à nobis? Et quæ officij sanctitas est nominis nuncupatio, cum celestis regni iter obedientia potius voluntatis Dei, non nuncupatio reperitur sic? Sed si fratrem diligas, si proximorum amore ferueas, si hoc sancto igne accendaris, quem Dominus venit mittere in terram, iam

Ioann. 13.

Cassian. col. 16. c. 6.

Matt. 7.

Hilar. comm. in Mat. c. 6.

A profectò iudico te esse ouem mansuetam & simplicem nostri pastoris. Audi hoc ex ore Basilij. Ad cuius mandati conseruationem, cum animum ille nostrum vellet excitare, non certissimum ille argumentum, quod quis ipsius esset discipulus, illud voluit haberi: si prodigia, ac stupenda miracula fecisset (esto, horum quoque efficiendorum facultatem per Spiritum sanctum gratuito dedisset) sed quid dicit? In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinuicem.] Si filius potentissimi regis, qui tamen suum genus & fortem foelicem ignorat (nam in domo pauperculi agricolæ educatus, nullum habet sui splendoris indicium) super omnes mundi diuitias reputaret aliquid sui corporis signum, quo filius esse regis illius, & hæres regni agnosceretur; quanti nos reputare debemus hoc signaculum charitas, quo Dei filij esse, & celestis regni hæredes agnoscamur? Filij sumus aterni Dei, si tamen infami sacco peccatorum deposito diuinæ gratiæ vestem induimus: id tamen occultum est, & absconditum, quoniam, nisi admirabilis: Nemo scit an odio, an amore dignus sit.] Sed hoc arcanum tanti momenti dilectionis signo fit manifestum: quod non corpori, sed animo impressum, nos Dei amicos & filios ostendit. Eo confidenter postulamus ad æternam hereditatem admitti, quæ solis dilectis filiis, & hæredibus reseruatur.

C Sed parum diximus dilectionem esse diuinæ hereditatis insigne: Est profectò perfectissima celestis ciuitatis imago. Nam quid aliud est foelicissima, quæ speramus, beatitudo, nisi admirabilis, & dulcissima vuitas, qua sancti indissolubiler colligati mutuo & ineffabiliter gaudent de bonis suis? Nulla ibi regnat inuidia, nulla omnino est de alterius foelicitate tristitia; sed minimus beatorum (si minimus vocari potest, qui filius est Dei, qui princeps est regni celestis, cuius gloria omni terræ regum & principum potentia comparata, misera est & vilis paupertas) magis de bonis, & maiori gloria alterius, quam de propriis bonis exultat. Minimus inquam beatorum, non inuidet beatitudini Petri, foelicitati Pauli, magnitudini Francisci, aut Augustini; sed his principibus primis, his columnis Ecclesiæ magna illa bona impensè vult, ipse minori gloria contentus. Hoc idem in religiofa vita, fraterna charitas operatur: Nam ab eis, qui se mutuo amant, longè abest inuidia honoris, aut dignitatis, vel cuiusvis alterius boni, ab aliquo eorum habiti; adest tamen causa eiusdem boni magna latitia. Concedamus (quod non rarò contingit) omnes religiofa vitæ sectatores, esse amore colligatos, demus nullam esse in aliqua communitate discordiam: statim hoc commune gaudium manifestè conspicitur. Si iste contemplatiua vitæ amore decenter, cum Maria secus pedes Domini sedet ad audiendum verbum illius: alter actiua vitæ distentionibus occupatus, non queritur, nec à contemplationis dulcedine nititur fratrem auocare. Si vnus naturam placidam, & quietam sortitus, minime se ad multos labores applicat, sed moderata occupatione contentus, vitæ quietam & tranquillam sectatur, alius, qui contrarij ingenij accepit, à quo nec ad momentū acquiescere sinitur, non murmurat, nec fratre curat ad suas occupationes petrahere. Si quidam huic muneris addictus, aut consolationem animi, aut spiritus profectum, aut certè magnam illius ministerij vtilitatem experitur; non è vestigio damnat alios, qui idem munus non suscipiunt, aut in aliis rebus, etsi minoris vtilitatis, occupantur. Scit enim charitas, varia & multiplicata esse dona Dei; vnum donum non forte, sed diuina disponente providentia

Basil. reg. 3. sup. disput.

Eccles. 9.

obigit

Aug. 178.
in Ioh.

Isac. 66.

Aug. 20.
de civit.
c. 21.

Añ. 4.

Psal. 132.

Galat.

Ephes. 4.

obtigat vni, alterum alteri, & sic non nititur vniuersos ad eundem muneris exercitium impellere, scit charitas, quod (vt inquit Augustinus) sicut aliud accipit manus, vt operetur, aliud oculus, vt videat, aliud auris, vt audiat, aliud pes, vt ambulet: anima tamen vna est, quæ agit omnia, in manu vt operetur, in pede vt ambulet, in aure vt audiat, in oculo vt videat: Sic sunt etiam diuersa dona fidelium, tamquam membra ad mensuram propriam cuique distributa.] Quid aliud est celestis, quam inquitimus, patria, nisi locus amoenissimæ pacis? Vnde scriptum est in Isaiâ: Ecce ego declinabo super eam quasi fluium pacis, & quasi torrentem, inundantem gloriam gentium.] Abundantiam illius pacis significat (inquit Beatus Augustinus) qua maior esse non potest. Hac vtique in fine rigabimur.] Idem profus est religiosa domus, vbi viget amor: est locus pacis: declinat super eam suavis ac mitis Dominus quasi fluium pacis. Hac pace abundantissimè irrigatur, rigata virescit, & floret; frondescens & flores omnis sanctitatis partus emittit. Quæ pax erit; vbi multitudinis Deo famulantium erit cor vnum, & anima vna? Quæ pax erit, vbi nullus, non eorum quæ possidet (quia in isto felici statu nemo aliquid proprium possidet) sed eorum quib. ad nutum superioris vtitur, aliquid suum esse dicit, sed sunt illis omnia communia? Quæ pax erit, vbi nemo sua querit propria commoda, sed bonum, & commodum totius communitatis inquirat? Quæ pax erit, vbi nullus sibi ipsi laborat. Sed omnibus laborat, & omnes alij in vsum istius suos labores impendunt? Quæ pax erit, vbi præpositus impensè curat pacatam; & quietam vitam subditi, & subditi tuetur auctoritatem præpositi: maior libentissimè se submittit minori, & minor fugit se æquare maiori: robustus adiumento est imbecillo, & imbecillus fructum percipit ex viribus robusti: sanus, & valens cõpatitur, & inseruit infirmo; infirmus verò dulcia obsequia experitur sani? Quæ pax erit in domo, ex qua aufugit inuidia, abiit odiù, discessit detractio; in qua nec auditur rixa, nec sonat contentio, nec obstrepit murmuratio, nec admittitur opinioium dissensio; quia idem sapiunt, idem dicunt omnes! O quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum. Habitare scilicet in domo charitatis & pacis! O quàm bonum; si quidem ex hoc bono deriuantur tanta, & tam eximia bona! O quàm iocundum, quandoquidem ex hoc iocundo deducitur ipsum gaudium, & iocunditas! Fructus enim spiritus (inquit Paulus) charitas gaudium, pax;] Ex charitate gaudium, & ex gaudio elicitur pax.

Charitas est, quæ nos ab angustiis humanæ imbecillitatis extractos, quodammodo omnipotentes efficit. Eius enim præsidio muniti, omnia fratrum bona consequimur, & alienas diuitias, tum temporales, tum spirituales, proprias efficiamus, & in nostrum dominium vendicamus. Non omnes vniuersa dona recipiunt, sed vnusquisq; proprium donum habet ex Deo. Nã ille sapientissimus distributor, vt nos ad tuam charitatè, nõ tam incitaret, quàm impelleret, & Ecclesiam suam auro puritatis circumdatam, ad decorem augmentum varietate vestiret, vnicique dedit gratiam secundum mēsuram donationis Christi: Et quosdam quidem dedit Apostolos, alios verò Evangelistas, alios autem doctores, & pastores ad confirmationem sanctorum; in opus ministerij, in edificationem corporis Christi.] Sed hæc omnia in varios homines dispersa, ac distributa, in vnum congerit potentia charitatis; nam amātem omnium bonorum, quæ amici possident, facit participem. Est quis robustus, & valens, qui totam domum suis

A humeris sustinet, & omnium fratrum obsequijs mancipatus, numquam corpore defertitur, sed imperitius est, nec scientiã aliquando comparauit, vnde alios docere nõ potest; amet literatum & doctum, diligit docētem, foueat obsequijs suis, adiuuet orationibus, fulciat desiderijs; & ore illius docet, vigiliarumque & laborum, & meritorum illius comes efficitur. Alius idoneus est, vt cõfessiones excipiat, nescit tamē verbum Dei populo ministrare, & paruulis postulantibus doctrinã panem infringere; amat prædicantem; & amore verbũ Dei administrat; & sine labore & cura meritum prædicationis accipiet. Quidam dono orationis priuatus, amando virum spiritualem orat, & diuinas consolationes proprias facit, quibus ille perfruitur: Mansuetudine destitutus, amando virum mansuetum, mansuetudinis meritis decoratur. Obediẽtiam appetens, nec adhuc habens, amando obediẽtem, obediẽtiæ præmia cõsequitur. Nonne sententia est Domini Saluatoris: Qui recipit vos, me recipit; & qui me recipit, recipit eum qui me misit; qui recipit prophetam in nomine prophete, mercedem prophete accipiet, & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet?] Quid est hoc nisi vim dilectionis ostendere, & quæ alij laborat & facit, nobis adiudicare beneficio charitatis? Explicet Chrysostomus quid significet, Mercedem iusti excipiet. Hoc est (inquit) qualem mercedem habet, qui peregrinatur talem mercedem habet & ille, qui suscipit propter Deum, peregrinantem, & sunt ambo æquales, & ille qui propter Deum laborat, & iste, qui propter Deum laborantem refrigerat. Vt puta, suscepisti sacerdotem, sacerdotis habes mercedem: suscepisti laicum iustum, iusti laici habes mercedem.] Charitas ergo omnes labores iustorum sine labore tribuit, omnia aliorum merita sine fatigatione conquiri: potentissima est, quæ ad tanta sufficit, & tantorum bonorum fecit augmentum. Audi etiam Bernardum in eandem sententiam, ita scribentem. Denique requiratur etiam a me, cur cum omnes ordines laudem, omnes nõ teneo? Laudo enim omnes, & diligo, vbi cumque piè & iustè viuunt in Ecclesia. Vnum opere teneo, ceteros charitate. Faciet autem charitas (fidenter loquor) vt ne illorum quidem fructu frauder, quorum instituta non sequor. Plus aliquid dicam: Tu tibi cautè age. Potest namque fieri, quia frustra laboraueris, vt autem ego frustra diligam bonum, quod operaris, fieri omnino non potest. O quanta fiducia charitatis! Alius operatur non amans, & alius amat nihil operans. Ille quidem suum opus perdit, illius verò charitas numquam excidit.] Cui etiam concinit Richardus Victorinus. O magna virtus charitas, quæ vocas ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt! O fortis virtus, quæ neminem spolians, omnia rapis, omnia facis tua, & nemini aufers sua, dum bonum quod in alio diligis, diligendo acquiritis! Et quidem fieri potest, vt frustra agas bonum, quod operaris. Vt autem ego frustra diligam, fieri omnino non potest. En ad manum est amoris fortitudo, quam quæris, cui resistere nemo est, qui possit! Omnia sibi subijcit, omnia suis profectibus seruire cogit; inimicos amando superat; & sibi amicos facit vel inuitos. Nam etsi habeat æmulos, inimicos omnino non habet.] Rex Iosaphat quadam vmbra amicitie regi Ioram illigatus, nuncium remittit illi dicens: Qui meus est, tuus est, populus meus, populus tuus, & equi mei, equi tui.] Si hoc efficit falsus amor, quid faciet vera dilectio? Quomodo non faciet omnino vt nostra sint proximorum bona? Quomodo non verè dicemus virtutes aliorum à nobis, & labores, & dona vniuersa possideri? Felicitissimus sanè videretur homo ille, qui simul

Mat. 10

Chrysost.
h. 26. in
Matth.Bernard.
Apolog.
ad Guillelmum.

Richard.

4. Reg. 3.

& eodem tempore posset Deo seruire, omnibus Ecclesiæ sanctæ mancipatus obsequiis, qui eadem hora hominem peccata per confessionem ablueret, & peccatorum agmina concionando fugaret; qui rursus vno loco diuinam naturam contempleretur cū Antonio; in alio, flagellis corpus, & sacco, ex palmarum foliis cōtecto, domaret cum Paulo: qui simul cū Frācischo Christi passionem, & mortē tenerimē deploraret; cum Dominico hæreticos à falsis dogmatibus auocaret; cum Augustino & doctoribus scriberet, & Ecclesiam doctrinæ splendore illuminaret; cum Xauerio nostro Iaponis & Sinas ad fidē conuerteret. Hanc autem felicitatem charitas fraterna consequitur. Qui amat enim confessarium, cum eo confessiones audit; qui amat concionatorem, cum eo concionatur; qui amat solitarios, & diuinæ contemplationi vacantes, & corporis afflictionibus insistentes, laborū ipsorum sit particeps: qui amat doctores, & hereticorum impugnatores, & infidelium illuminatores, omnium istorum merita meritis propriis adiungit. Vnus (inquit Chrysostomus de illo qui amat) multiplex est. Si enim concordēs sint duo, vel decem, non amplius erit vnus, sed eorum vnusquisque sit decuplum, & inuenies in decem vnum, & in vno decem. Et si inimicum habeant, qui vnum aggreditur ferē decem aggreditur, & ira superatur. Non enim ab vno tantum sed à decem impetitur. Indiget vnus, sed non est in egestate; maiore enim ex parte, hoc est, nouem abundat, & pars, quæ indiget, vt puta minor, maiore exuberante obregitur. Singuli eorum viginti manus habent, & oculos viginti, & toridem pedes. Non enim suis tantum oculis videt, non suis pedibus sustentatur, non suis operatur manibus, sed amicorum. Decē animis spirat, non enim ipse sibi tantum curæ est, sed & illis; quod si centum essent, idem contingeret, & virtus augetur. Ecce dilectionis excellentia, quo pacto vnum insuperabilem, & multiplicem reddat, & vnus in multis simul locis, & in Perside, & Romæ esse possit: & quod natura non potest, dilectio potest: & pars eius hic, pars illic est, vel potius totus vtrobique. Et si quis mille, vel duo millia amicorum haberet, considera in quantam ille potestatem ascēderet.] Si ergo ex sententia Chrysostomi tantam habet potestatem, qui duo millia amicorum habet, in quantam potentiam extollitur, qui innumerabiles amicos, homines, & Angelos habet: & tanta potentia, tantis virtutibus, tantis donis cumulatus, in quantam sanctitatem proficiet? Hoc est illud Sophoniæ labium electum, vt innocens omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno.] Labium electum est idioma charitatis, quia proprium est curiæ cælestis, in qua nihil aliud auditur nisi charitas, diuina laus, & dulcia amoris colloquia. Quod si in hoc rusticorum pago, in mundo videlicet, labium electum charitatis auditur, non narium, & proprium est, sed è celo mutuum. Quemadmodum enim decet, vt qui in pago vitam curiæ tenent; ornamenta & delicias curiæ sectentur, & oratione polita curiæ loquantur: ita decens est, eos, qui in mundo vitam cælestem agunt, & cælestibus vestimentis indui, nempe virtutibus, delicias sibi spirituales comparare, & linguam mundi rusticanam dediscere, illustrem verò aulæ Dei, linguam videlicet dilectionis, sectari. Cū Dominus inter suos labium hoc electum inducit, tunc inuocant omnes in nomine Domini: quia precatione & laude oris, & operis, non quisq; finem suū peculiarem, non propriū commodum, sed vniuersi finem omnibus communē, nempe gloriam æterni Dei, summis conatibus exquirunt. Tūc etiam seruiunt Domino humero vno; quia quisq; non suis humeris solū, sed humeris omnium

Cryf. b. 8.
77. in
Ioan.

Sophonia
3.

A fratrum onus laboris sibi iniunctum supportat: & ita quamuis magnū sit, & importabile, nec fatigatur, nec sentit, quia non solus, sed tot fratribus comitatus, tot viribus aliorum adiutus, illud fert. Hunc autem humerum charitatem esse docet perspicuē Gregorius, illud sancti Iob interpretans. Humerus meus à iunctura sua cadat.] A iunctura etenim (inquit) humerus cadit, cū aduersitatis aliquid ferre animus non valens, fraternam concordiam relinquit: & quasi membrum separatur à corpore, cū is, qui operari bona poterat, à bonorum omnium absconditur vniuersitate. Nec enim vnquam seruari concordia, nisi per solam patientiam valet. Crebrō nāmque in humana actione nascitur, vnde mētes hominum vicissim à sua vnitac ac dilectione separantur: & nisi ad aduersa toleranda se animus præpararet, proculdubio humerus corpori non inhaeret.]

B Quid amplius de fraterna charitate dicemus? Certē omnes labores leuissimos & suauissimos efficit. Quod Augustini prius doctrina confirmet. Sed in his omnibus molestiis (inquit) qui hæc non amat, eadem grauiā patiuntur: Qui verō amat, eadem quidem, sed non grauiā pati videntur. Omnia enim leuia, & immania profusa, facilia & propē nulla efficit amor. Quanto ergo certius ac facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam, quantum potuit, cupiditas fecit? Rursus alio loco, Omnia quippe sunt facilia charitati, cui vni, Christi sarcina leuis est, aut ea vna est. Sarcina ipsa, quæ leuis est. Secundum hoc dictum est, & præcepta eius grauiā non sunt, vt cui grauiā sunt, consideret non potuisse diuinitus dici grauiā non sunt, nisi quia potest esse cordis affectus, cui grauiā non sunt; & perat, quod destituit, & impleat, quod iubetur. Et breuius Bernardus. Vbi amor est, labor non est, sed labor. Hoc autem pronenit duabus ex causis: Altera est, quia sicut diuitiæ, ita & labores inter multos diuisi, minores & leuiiores sunt. Si quis enim centum librarum pondus velit suis crucibus sustinere: vix poterit: si autem centum homines hoc pondus deferant, ridiculum illis erit, nullum laborem sentient. Sic omnino si soli munus aliquod obimus, eiusque curas, & labores sustinemus, ita in dies ingravescet, vt non portari possit: si autem aliorum orationibus auxiliis, monitionibus adiuti portamus, quotidie leuius erit, & suauis, ad eō vt modicum sentiar, aut nequidem sentiar. Altera verò, quia voluntas, & desiderium placendi ei, quem amamus, multum de labore & difficultate detrahit. O incarnata sapientia, magister amoris (inquit Laurentius Iustinianus) qua arte reparas lapsos, quibus vinculis trahis post te filios Adam, quāve virtute totum legibus tuis subdis orbem? Grauiā suades, contraria corpori consulis, & tamen innumeros tibi quotidie vendicas amatores; difficiliora iubes, quàm olim in lege, & nihilominus innumeros tibi aggregas sectatores non metu mortis, non terrore iudicij, non horrore gehēnæ sternis sub iugo tuo colla mortalium, sed solo id amore. Iugum etenim amoris tui suauiter prementis, o quàm fortiter trahit, quàm dulciter capit! Vis namque tua amor est tui.] Sicut ergo amor Christi facit, vt labores suauiores fiat, eius causa suscepti: ita proximorum amor facit, vt labores & molestia pro illis assumptæ leuiiores appareant.

C Hoc est, quod scribitur apud Isaiam; quia Dominus computrescere faciet iugū à facie olei.] Hoc olei est charitas: Nam sicut illud cunctis liquoribus, ita hæc vniuersis virtutibus superferretur, & sine sonitu effunditur, non strepitum inanis gloriæ in bonis operibus, sed Christi imitationem, & fratrum vtili-

E tatem

Iob. 32.
Greg. 21.
mor. c. 16.

Aug. lib.
de natura
& gratia
c. 69.

Aug. ser.
9. de ver-
bis Domi-
ni. c. 3.

Ber. ser.
85. in
cans.

La. ut.
Iust. lib.
de discip.
de perfe-
ctione mo-
nast. con-
uers. c. 2.

Isai. 10.

atam procurans. Istud oleum purissimum, quod lucernas templi Dei, scilicet iustos & sanctos, pascit, atque sustentat, computrescere faciet iugum ceruices laborantium premens; nam à muneribus, & sanctis occupationibus molestiam, & laborem depellet. Quæ enim iam computrescunt debilissima sunt, & nulla opera soluantur, & ab humero præiiciuntur. Sicut miles (vt simili Ambrosij vtat) qui Imperatorem diligit, bella pro Imperatore suscepta non metuit; vt seruus amans Dominum, non metuit naufragia liberorum charitate, ingreditur maris fluctus, subit incerta nauigij, sed metum discriminis leuât desideria filiorum: Ita quidem casto amore captus suæ dulcissimæ matris familiaris, scilicet religiosæ & suorum fratrum, eandem religiosam vitam sectantium; nec sentit labores, nec aduertit difficultates, nec metuit pericula, vt matrem iuuet, & fratrum sanctos labores promoueat, nihil non suauis, & facile experitur, modo aliis fructuosus inueniatur. Huiusmodi oleum, aut potius pretiosum vnguentum, non in aliquam partem corporis Christi mittendum est, sed toti corpori referuandum. Contritio, & peccatorum gratia effusa lacrymæ, pedes Christi lauent; gratitudo, & beneficiorum commemoratio manus Christi detergat; contemplatio diuinorum Christi venerabile caput inungat: sed fraternæ charitas omnia eius membra leniat, & foueat, quia omnibus tam amicis quàm inimicis est impendenda. Tu quoque (inquit Bernardus) si induas viscera misericordiam, liberalem; benignumque te exhibeas, non tantum parentibus, siue cognatis tuis, aut quos tibi, vel benefactores tenes, vel benefacturos speras, nam & Ethnici hoc faciunt; sed iuxta Pauli consilium studeas operari bonum ad omnes, ita vt, propter Deum, nec inimico officium humanitatis corporale, seu spirituale negandum, subtrahendumque existimes. Constat te quoque abundare vnguentis optimis, nec caput, aut pedes Domini tantum, sed passim quantum in te est vngere suscepisse totum corpus, quod est Ecclesia. Et fortè proinde ob hoc Dominus Iesus paratam sibi consecutionem expediti noluit in suo corpore mortuo, vt seruaret vivo.] Constat ego dilectionem fraternam partem perfectionis esse, quæ viuens legem continet, nos dulcissimo nexu, vt eiusdem corporis membra, deuincit, viles, & robustos ad laborandum efficit, & eas dignitates continet, quæ in solam perfectionem quadrare possunt. Constat etiam, quas ob causas Saluator noster Christus de ea tam præcipuum mandatum tulerit, vt diceret: Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.] Dicamus nos vicissim illi: Fauus distillans labia tua Domine, mel & lac sub lingua tua.] Mel, quia charitas dulcius sapit; & lac, quia omnis puritatis & sanctitatis est comes. Da bone Iesu, vt quod mandas, corde intelligamus; quod præcipis, opere faciamus; quod exemplo doces, imitemur, quatenus charitatis sanctæ sectatores effecti, & digni imitatores tui efficiamur, & ipsam vitæ perfectionem, quam quærimus, tandem consecremur.

Christum hanc perfectionem fraternæ charitatis exemplo docuisse.

C A P. XXXV.

A V C V S Q V E causas exposuimus, & fortassis latius & prolixius, quàm par erat, ob quas Dominus præceptum charitatis fraternæ suum præceptum appellauit, vt videlicet eam, aut perfectionem, aut perfectionis partem vocaret, ac vt compendium esse rotius legis ostenderet. Nunc meditemur id, quod sine vlla hesitatione vtilissimum iudicamus, quo nimirum pacto ipse Dominus hanc perfectionis partem opere & exemplo monstrauerit. Neque enim seipsum præceptorem tantummodo ac legislatorem obtulit, dicens: Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.] Sed etiam exemplar perfectionis exhibuit, dum adiecit; sicut ego dilexi vos.] Sed quis, aut mente concipere, aut verbis explicare sufficere amorem Christi, & rationem ac viam, qua ipse dilexit nos? Cælestes spiritus, dum hunc sanctissimum amorem inspicunt, vehementer stupent, & admirantur, silent, tremunt, elingues sunt, & si quid loqui audent, in eius expressione balbutiunt. Quid faciemus nos homunciones vilissimi, non solum ignorantes, & cæci: verum etiam vitiosi, ac peccatis imbuti? Quamnam ratione audebimus ad hunc amorem purissimum oculos leuare, carneam linguam mouere, calamum spiritus vitæ carentem versare, & latentem in corde Saluatoris ignem, verbis imperitis exprimere? Si nondum (vt dicitur in libro Iob) ingressi sumus thesauros niuis,] quo pacto ingrediemur thesauros amoris? Si cor nostrum, quod est, vt thesaurus niuis, plenum frigiditatis & gelu, est nobis prauum, & inextinguibile; quomodo sanctissimum Christi cor, vtrique thesaurus inextinguibilis ignis, plenum ardoris, suauitatis, atque dulcedinis, erit nobis apertum, ac penetrabile? Quomodo de amore loquetur (inquit magnus contemplator Richardus) homo, qui non amat, qui vim non sentit amoris? De aliis nempe copiosa in libris occurrit materia; huius verò, aut tota intus est, aut nusquam est; quia non ab exterioribus ad interiora suauitatis suæ secreta transponit, sed ab interioribus ad exteriora transmittit. Solus perinde de ea dignè loquitur, qui, secundum quod cor dicta, verba componit.] Erubescamus igitur de amore loqui, qui amatores non sumus, amoris verba profundere, qui amare numquam bene didicimus. Pudeat nos in sanctissimum Christi amorem insolenter irrumperere, & caput ipsum Angelis tremendum osculari, qui numquam secus pedes eius procubuimus, vt pro innumeris peccatis, & flagitiis nostris, vt opere pretium fuisset, lacrymas funderemus. At pudor, & erubescencia ista non faciat nos omnino silere, sed cum timore & circumspectione loqui, vt sic præceptum opus persequamur; attentè persequemur, quomodo Christus dilexit nos, & ex ipso discamus, quamnam ratione debeamus cunctos homines, tam amicos, quàm inimicos diligere, nam amoris eius imitatores effecti, & proximos, sicut nos ipsos diligimus, & hanc perfectionis partem, quæ in fratrum amore consistit, absque dubio consequemur.

B Christus igitur, summa & prima veritas, dilexit nos verè, quia non dilexit nostra, sed nos, & si dilexit nostra, non nos propter illa, sed illa propter nos. Deus noster est quoniam bonorum nostrorum non eger.] Quare amore, quo nos amabat, non quærebat fortunas nostras, quia sic pauperes non admisisset, non scientias nostras, quia sic stultos & ignorantès non respexisset, nec decorem nostrum, quia sic turpes & deformes non statuisset, nec famam, aut opinionem nostram, quia sic viles & despectos non dilexisset: sed dilexit nos ipsos, & tamquam pijsima mater in sinum nos suæ dilectionis collegit.

*Ambrosius
Epsal. 118.
ser. 9.*

*Bernardus
ser. 22. in cæli.*

*Ioan. 15.
Cant. 4.*

Ioan. 15.

Iob. 38.

*Richardus
de gradibus char.
c. 1.*

Psal. 15.